



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlm III. De bigamis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

lis constituto: cùm ipse in ligando & soluendo Apostolica auctoritate prædictus sit. Ad textum resp. cum Suarez de censur. disp. 49. sect. 6. n. 6. Non dici in hoc c. quod non possit dispensari cum bigamo; sed quod non licet dispensare contra Apostolicam & in tota Ecclesia receptam traditionem: quandoquidem etiam ad supremum Ecclesiæ Pastorem pertinet optimè constitutos Ecclesiæ canones custodire, ac propagare. Quæ ratio ostendit, quod Summus Pontifex non soleat absque grauissima causa dispensare cum bigamis, præsertim veris, & propriè dictis. Sed neque dispensare facile solet: vt qui viduam vxorem duxit, ad ordines sacros (inter quos etiam Subdiaconatus numeratur) promovetur, vt constat ex c. nisi, 10. §. Personæ, de renunt.

Sed ad minores ordines accipiendos Papa faciliter dispensat: Imò aliqui, inter quos S. Thom. l. cit. hanè facultatē etiam Episcopis concedunt, arg. cit. c. lector, ex quo tamen parum probari potest: cùm non sit Martini Papæ (vt Gratianus scriptis) sed Bracharen sis Archiepiscopi. Id tamen ex eo textū colligitur, suisse aliquarum Ecclesiastarum consuetudinem, vt Clerici, qui viduam uxorem duxerant, in clero permitterentur; imò postulata necessitate etiam ad Subdiaconatum, non vterius, promoverentur. Sed hæc hodierno iure permissa non sunt, vt colligitur ex c. vn. eod. tit. in 6. vbi id notat Anchoranus in fine. Vide quæ dixi lib. 1. tr. 5. p. 6. c. 6. num. 7.

CAPITVLVM III.

De bigamis.

Presbyteri, qui verè bigami sunt, aut qui viduas uxores habuerunt, neque viuenib; vxoribus; neque defunctis ad celebrationem admitti debent cùm perperam ordinatione fuerint, contra Apostoli doctrinam, & Ecclesiæ consuetudinem.

QVÆRES: Vbi Apostolus prohibeat, ne quis viduam uxorem habuit, presbyter ordinetur. Respondeo, Extare de hac re can-

18. Apostolicum à Gratiano relatum, c. si quis viduam, 15. d. 55.

CAPITVLVM IV.

Nuper.

SUMMARIUM.

1. *Qui promotus ad sacros ordines, mortua vxore, aliam de facto duxit & cognoscit, bigamia pœnam incurrit (licet verè bigamus non sit) & contrahit irregulariter indispensabilem.*
2. *Et hæc pœna extenditur etiam ad laicos, qui inualidè secundas nuptias contrahunt.*

A It in hoc c. Innocent. III. dubiam quæstionem esse; Vtrum Clericus in sacris constitutus, qui antè uxorem virginem haberat, si èa mortuā aliam ducat de facto, non de iure (quia irritum est matrimonium) bigamus censeri debeat. Pro parte quæst. affirmante est, quod in talibus matrimonijs non ad iuris effectum, sed potius ad prauam intentionem cum opere subsecuto attendi solet: Nam ideo secundum leges infamia notatur, qui duas simul uxores habet, l. quid ergo, ff. de his qui notantur infamia. Et presbyter punitur, qui nuptias non legitimas contraxit, c. presbyterum, d. 28. Ex altera vero parte obstare videtur, quod veritas præferenda sit opinioni, seu iuris præsumptioni: alioquin bigamus censeri deberet, qui nullam uxorem validè duxit, vt si quis de facto, non de iure contraheret cum duabus, v. g. consanguineis suis. His disputatis, amplectitur Innoc. partem q. affirmatiuam, videlicet Clericos in sacris, qui post primam uxorem defunctam, aliam inualidè duxerunt, & cognoverunt, licet re ipsa bigami non sint, tamen quasi bigamos habendos, ideoque ad ordines indispensabiles censendos esse, idque propter effectum intentionis, cum opere subsecuto, id est, quia, quantum in ipsis erat, voluntariè matrimonium alterum contraxerunt & consummarunt.

Quæ-